



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.  
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In  
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.  
VII. Pont. Max.

**Esparza Arteida, Martin de**

**Lugduni, 1666**

XXXVIII. Vtrum Diuinitas ratione suæ infintatis possit identificari realiter  
cum prædicatis realiter inter se distinctis, ideoque non repugnet  
Mysterium Trinitatis Diuinæ?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

malem Dei, est hoc præterea discrimen ratione nostra, quod beatitudo formalis est talis beatitudo solius Dei, & non aliorum à Deo: beatitudo verò obiectiua Dei, simul est beatitudo cæterorum omnium tam perfectè, & simpliciter beatorum, quàm beatorum falso, & secundum quid tantum. Quia intellectione diuina solus intelligit ipse Deus, nullusque alius potest reddi intelligens per illam, vt habetur quæst. 27. de Incarn. Operationem autem perfectissimam, atque aded beatificam nulla natura intellectualis exercere potest, nisi circa obiectum perfectissimum, quod est Deus, continens in se omnem omnis generis bonitatem, demptis imperfectioibus, in quibus formaliter, vt talibus, nemo collocat, nec collocare potest suam beatitudinem, seu veram, seu fictam, simpliciter, aut secundum quid talem. Vnde beatitudo obiectiua Dei, id est, omnis bonitas diuina, prout includit ipsam quoque beatitudinem formalem diuinam, quæ simul habet rationem beatitudinis obiectiua, propter perfectam reflexionem supra se ipsam, simul est beatitudo obiectiua cæterorum omnium, atque in beatitudine Dei, includitur, vel formaliter, vel certè eminenter, & perfectius omnis alia beatitudo, vt docet D. Thom. vbi supra art. 3. & 4. Deus igitur est superabundanter beatus, vtpote non solum sibi, sed etiam omnibus aliis sufficiens ad perfectam felicitatem, & beatitudinem.

Ad 1. Quæ sunt diuisa per omnes, Deus collecta tenet indiuisim, substituta identitate aggregationi bonorum omnium, id est, perfectissima bonorum coniunctione experte omnis imperfectiois, coniunctioni imperfectæ bonorum, & indigenti pluribus pro cumulo bonitatis sufficientis ad beatitudinem vndeque completam.

Ad 2. Quod beatitudo creata, de qua loquitur Philosophus, habeat rationem præmij, provenit ex imperfectione creaturæ, non habentis ex se præcisè dignitatem, & sufficientiam beatitudinis, ideoque indigentis operationibus bonis, quibus illam acquirit, sicut indiget productione reali, vt habeat esse. Sicut igitur Deus est à se, ideoque est perfectissimè absque productione reali, ita est perfectissimè beatus absque operatione meritoria beatitudinis. Quia est beatus à se, & ex se præcisè, habetque ex essentia sua, dignitatem, & sufficientiam beatitudinis. Vnde etiam pater ad tertium, quia, sicut est essentiale Deo vt sit, ita est eidem essentiale, vt abundet omni bono, ideoque non pluribus indiget, vt sit beatus, quàm vt sit simpliciter. Cuius oppositum accidit in substantia creata, vtpote non sufficienti sibi ad totum suum bene esse, per solum suum esse, ideoque pluribus indigenti, vt sit felix, quàm vt sit simpliciter.

Ad 4. D. Gregorius lib. 32. moral. cap. 5. circa illud psal. 92. *Dominus regnavit, decorem induit*, rectè pronuntiat, *Ipsè gloriosus est, qui dum seipso perfruitur, accidentis laudis indigens non est*; quia videlicet Deus sibi se solo sufficit, cum ex se præcisè sit omne bonum; vnde nulla accessione fit locupletior, nullisque iniuriis, ac offensis vilescit, aut deterius habet. *Si enim iniquè egeris, quid noceris ei?* Princeps autem creatus non sufficit sibi se solo, sed indiget obedientia, & obsequio subditorum, potestque ab eisdem multipliciter vexari, impediri à consecutione eorum, quæ efficaciter intendit, & quibus indiget, atque redigi in vltimam vilitatem, miseriamque temporalem. Quorum nihil accidere Deo potest, qui potest, & emendare, & annihilare peccantes, impedire, quominus peccent, & punire ad æqualitatem, postquam peccauerint. Nulla igitur est paritas.

Ad 5. Ratio, ob quam apud Ecclesiastem infelicitas est deuincta solitudini, non militat, respectu Dei,

qui cadere non potest, ideoque nec subleuante opus habet. Deinde substantiæ creatæ indigent multis subsidiis propter multiplicem indigentiam atque insufficientiam, vniuersumque seorsim, & secundum se. Deus autem se solo est bonum vndequeque sufficientissimum, vt sæpè dictum est. Ergo Deus se solo est summè beatus, tametsi alij absque sociis beati esse non possint. Denique, tametsi Deus sit solus, & vnicus secundum essentiam, est nihilominus trinus in personis, quæ seipsis inuicem suauissimè perfruantur, per summam bonorum omnium communicationem mutuam, qualem societatis felicitatem nulli alij habere possunt. Quod mysterium aggrediemur iam explicandum, iis omnibus vtemur quæ expositis, & absolutis, ad quæ ratio naturalis aliquantulum pertingere potest; Cum ad mysterium Trinitatis soli pateat aditus fidei, quæ est natura posterior, & obscurior, quàm ratio naturalis.



### QVÆSTIO XXXVIII.

*Vtrum Diuinitas, ratione sua infinitatis, posset identificari realiter cum predicatis realiter inter se distinctis, ideoque non repugnet Mysterium Trinitatis Diuine.*



IDEVTR repugnare istud mysterium, & illa identitas. Primò. Quia, quæ sunt eadem vni tertio, sunt idem inter se; & e conuerso, ea, quorum alterum est idem, alterum non est idem vni, & eidem, distinguuntur inter se. Quod est principium per se notum lumine naturæ, & vt tale traditur à Philosopho 7. Top. c. 1. atque ab aliis communiter. Impossibile igitur est, Personas identificatas cum vna eademque natura diuina, esse nihilominus distinctas inter se; & e conuerso, naturam diuinam identificari cum persona Filij, cum qua non identificatur persona Patris, & nihilominus eandem naturam identificari cum eadem Patris Persona. Igitur mysterium diuinæ Trinitatis, non solum est supra rationem naturalem, vt dicunt communiter SS. PP. ac Theologi, sed etiam est contra rationem naturalem, vt conuincit ratio proposita. Nulla autem veritas, siue sit propria obiecti finiti, siue infiniti, est contraria rationi naturali, licet plures veritates sint supra eandem. Quia ratio naturalis adequatè sumpta, est participatrix diuini luminis, & centrum eius est veritas in communi; atque beatitudo eiusdem, quæ nequit esse contraria beatificato, est veritas, diuini esse, vt est in se ipso. Ergò mysterium diuinæ Trinitatis non est verum, neque ad veritatem eius innuare quidquam potest infinitas propria diuinitatis.

2. Eodem pertinet aliud simile principium, nempe, quidquid dicitur de prædicato, dicitur de subiecto; & vice versa; quidquid negatur de subiecto, iuxta regulas celebres, *Dici de omni, Dici de nullo*, quas tradit Philosophus 1. Prior. cap. 4. & seqq. iisdemque vtitur ibidem, & toto lib. 2. tanquam fundamento vnico totius artis syllogisticæ, & tanquam primo principio per se noto, quo nititur omnis vis syllogismorum ad concludendum. Ergo si quidem de

Patre

Patre dicitur Deus, & de Deo dicitur rursus Filius, dicitur quoque necessarium Filius de Patre: & è conuerso, quia Filius negatur de Patre, & Pater dicitur de Deo, negabitur utique idem Filius de Deo. Quapropter Filius erit idem cum Patre, sicut est idem cum Deo. Et è conuerso, idem Filius distinguetur à Deo, sicut distinguitur à Patre. Vtrobique autem horum admissio, tollitur mysterium diuinæ Trinitatis, ut patet. Et utrobique reiecto, reicitur, ac falsificatur, vel hoc principium: quidquid dicitur de aliquo, dicitur de omni eo, de quo dicitur illud aliquid; vel hoc aliud; quidquid dicitur de aliquo, de nullo eorum dicitur, de quibus illud aliquid non dicitur; id est, reicitur, & falsificatur principium per se notum, & quo reiecto nullus syllogismus potest esse utilis, præsertim circa Deum, ratione cuius, seu respectu cuius tale principium non admittitur; ac proinde directè redditur inutile totum studium Theologiae. Quæ patet esse absurda.

3. Ratio identitatis, & vnitatis, non est ratio distinctionis, & multiplicatis. Similiter vnum est, quod non est multa; & multa sunt, quæ non sunt vnum. Natura autem diuina, est ratio identitatis, & vnitatis intra Deum; utpotè identificans sibi omnia diuina, & constituens cum iis omnibus vnum Deum. Personalitas verò, seu relatio ad intra est ratio distinctionis & multiplicatis in Deo, utpotè distinguens Personas diuinas inter se, & constituens in ipsis, & cum ipsis Trinitatem, quæ est multitudo, Repugnat igitur, ut sint idem natura diuina, & personalitas, seu relatio ad intra; necnon vnus Deus, & tres Personæ, quarum singulari sint Deus.

4. Admissis duabus formalitatibus, realiter inter se identificatis, simulque distinctis virtualiter intrinsecè, seu quibus conueniant nihilominus prædicata contradictoria, qualia sunt, esse commune, & non esse commune tribus personis, quorum primum conuenit naturæ diuinæ, secundum vnicuique personæ diuinæ, necnon omnibus personis simul sumptis; sequitur vni, eidemque formalitati indistinctæ, ac indissolubili in se virtualiter etiam intrinsecè, conuenire similiter prædicata contradictoria. Paternitas enim ex. gr. & formalitas incommunicabilis Filio non distinguuntur inter se virtualiter intrinsecè; & tamen alteri conuenit esse prædicabilem, alteri non esse prædicabilem de natura diuina. Hæc enim est vera: *Natura diuina est Paternitas*. Hæc verò est falsa: *Natura diuina est formalitas incommunicabilis filio*; & sic de similibus. Est autem inconueniens, ut appareat ex q. 4. ab art. 4. prædicata aliqua contradictoria identificari inter se adequatè, & non distingui inter se saltem virtualiter intrinsecè. Ergo, & illud est inconueniens, ex quo sequitur hoc aliud inconueniens.

5. Ex eodem mysterio sequitur postremo inconueniens aliud, cæteris omnibus manifestius, & clarissimè repugnans rationi naturali, nimirum syllogismus expositivus reddi inutilem, & illationum falsitatis. Quia in isto syllogismo: *Hæc Paternitas est hæc essentia. Sed hæc essentia est hæc filiatio. Ergo hæc paternitas est hæc filiatio*. In hoc, inquam, syllogismo maior, & minor sunt veræ, & tamen consequens est falsum posito mysterio Trinitatis; idemque contingit in pluribus aliis eiusmodi syllogismis. Syllogismus autem expositivus est euidentissimus omnium, & vi eius ad concludendum innuitur vis omnis concludendi, conueniens cæteris omnibus argumentandi modis, omnesque syllogismi vniuersales concludunt, quatenus continent in se virtualiter implicite syllogismum expositivum, seu adequatè singularem. Unde eo conuulso simul conuellitur tota ars argu-

mentandi; cuius tamen destructionem patet contradicere rationi naturali. Ergo mysterium Trinitatis contradicit rationi naturali. Nec apparet, qua ratione conferre quidquam possit, ad vitandum istud inconueniens, & reliqua prius proposita, infinitas diuinitatis inclusa in eo mysterio. Imò patet oppositum; quia in distinctione, & identitate, infinitas extremorum valet ad distinguendum infinite ea, quæ realiter distinguuntur, ideoque valet ad excludendam omnem realem identitatem eorum cum vno tertio. Nec enim est infinitum in aliquo genere, quod non excludit à se totaliter oppositum genus. Quæ eadem ratione, necesse est, ut identitas realis diuina excludat à se omnem realem distinctionem diuinam.

Art. 1. Resp. Deus Vnus, & Trinus, Vnus in natura, & Trinus in Personis cum reali earum inter se distinctione, & cum identitate reali inter easdem, & Deum, atque Deitatem, seu naturam diuinam, est præcipuum fidei Catholica dogma, & veluti stemma veræ Religionis. Colligitur ex illo Matth. 28. 19. *Docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Vbi distinctè nominantur, & exprimentur tres Personæ, nec obscurè indicatur vnitatis naturæ, virtutis, & auctoritatis per nomen Personarum singulariter positum. Idem habetur clarè prima Io. 5. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi Tres vnum sunt*. Constat præterea de Vnitate Dei ex q. 3. De Trinitate verò Personarum producentur plura testimonia in decursu. De vtraque simul habentur cum aliis locis Scripturæ, varia Concilia, & vnanimis Sanctorum Patrum consensus, inter alios in præsentia, apud Montoyam disp. 19. & 36. de Trinit.

Art. 2. Istud mysterium excedit naturalem humani ingenij capacitatem, ut pluribus ostendit idem Montoya in disp. 41. 42. & 43. & paulò post apparebit clarè, ideoque vexat acerbè superbos, ac intemperantes, dum metiti illud volunt, & adequatè complecti ingenio suo, vel etiam, quoad solam possibilitatem ipsius. Cum enim sit conatus rei impossibilis, non possunt non torqueri, dum eum experiuntur irritum, & inanem, cum necessitate, semper ulterius conandi, cum eodem semper exitu finis nondum comparentis. Delectat verò idem mysterium humiles, & nolentes sapere plus, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Quia gaudent summum suum bonum esse tantum, ut percipi satis non possit, sicut gaudet avarus, cum eò diuitiarum peruenit, ut non possit, quod pauperis est, numerare pecus, aut pecuniam suam. Conatus igitur in præsentia non debet esse, ut inueniatur ratio positiva, quæ demonstraret hoc mysterium esse possibile, seu non repugnare, aut qua penitus euacuentur difficultates occurrentes aduersus ipsum. Hoc enim, quodlibet iteratò fateri, est impossibile pro statu vitæ præsentis, & tunc solum obtinebitur, cum videbimus Deum, sicuti est, & facie ad faciem, nec amplius in speculo, & ænigmatè. Sola itaque querenda est ratio, qua innotescat, argumenta, quæ concludunt euidenter repugnare tale mysterium in rebus creatis, non propterea concludere, quoddam repugnet, respectu Dei; darique differentiam exclusivam talis euidentia in ordine ad Deum. Quæ proinde differentia sit dispositiva nostri intellectus ad assensum initio faciliorem, ac deinde tenaciorem, & suauiore huius articuli fidei, quatenus à Deo reuelati; quod est munus, vel maximè proprium vniuersaliter Theologi Catholici, uti obseruatur cum D. Bonauent. q. 23. & 25. de Virt. Theol. utrobique ad 4.

Art. 3. Pro inuentione porro, & claritate eiusmodi rationis, ac differentia, recolenda imprimis est

est notio identitatis exposita supra quaest. 3. Nimirum eam formalitatem identificari realiter cum formalitate alia, quae communicatur illi tantundem, atque sibi ipsi, estque proinde mutuo affirmabilis de ipsa, prout utraque est in se intrinsece à parte rei. Est verò affirmabilis non secus, atque est affirmabilis hic homo de hoc ipso homine, & affirmatur, dum dicitur, Petrus est Petrus, & sic de similibus. Est enim de conceptu identitatis, ut sic in communi, ut fundet eiusmodi affirmationem veram, transfusivam intentionaliter unius extremi in aliud, & veritas eiusdem affirmationis est signum identitatis, praeter ceteris, evidens respectu nostri.

Art. 4. Observandum deinde est discrimen quoddam insigne inter formalitatem praeditam ex suo conceptu, pura, ac infinita perfectione, & formalitatem perfectionis finita, seu coniuncta cum imperfectio- ne. Perfectio finita, qualibet cuiuslibet praedicati positiui additione, fit maior, non solum extensivè, sed etiam intensivè: ita ut coniuncto ex quibusvis duobus praedicatis positiuis, quorum neutrum est perfectionis simpliciter infinita, insit necessariò maior aestimabilitas, quam alterutri seorsum: nec utrumque simul sit tam vile, & contemptibile, quam utrumvis seorsum. Id quod eadem ferè ratione redditur manifestum, ob quam duae quaelibet bonitates creatae agnoscuntur absolute aestimabiliore, quam utralibet sola. Repugnat nimirum, ut perfectio ex se finita, ac limitata exigat intrinsece accessionem alicuius praedicati, cui se communicet, quodque perficiat communicatione sui, quin sibi vicissim accrescat aliquid emolumenti, & perfectionis, ac meliorationis ex eodem praedicato. Quia exigentia purè communicativa, & perfectiva, & non simul lucrativa, est propria abundantis simpliciter perfectione, & bonitate sufficiente sibi ex se praecise, qualis est sola diuinitas; Ideoque repugnat indigenti simpliciter, nec sufficienti sibi ex se praecise, qualis est omnis perfectio finita, ac limitata, ideoque augmentabilis qualibet additione, sicut est diminubile omne finitum qualibet ablatione.

Art. 5. Omne igitur praedicatum proprium perfectionis finita, ac limitata, aut est limitatum ipsius, & impeditivum, ac exclusivum ulteriori perfectionis, ideoque consistens in negatione, aut privatione, & consequenter est incapax, quod perficiatur, ac melioretur illa ipsa perfectione, cui inest; Aut est promotivum, & quasi intensivum, atque augmentativum eiusdem perfectionis; siquidem erit positivum, & capax, quod perficiatur, ac melioretur, eadem illa perfectione, cui inest. Nec fieri potest, ut praedicatum aliquod entis finiti, sit ex se formaliter medium, ac neutrum inter ea duo extrema, nec augens, nec diminuens perfectionem, cui adiungitur; purè videlicet susceptivum, ac meliorabile; & non vicissim dativum, & communicativum augmenti, atque iuste aestimabilitatis.

Artic. 6. In perfectione simpliciter infinita, atque completa secundum omne genus bonitatis, sibi quae sufficiente ex se praecise, id est, in conceptu obiectivo diuinitatis, non apparet vlla similis repugnantia, ut ei insit praedicatum purè perfectibile, seu susceptivum quidem perfectionis; sed non item perfectivum vicissim, & communicativum, atque augmentativum perfectionis. Cum enim eiusmodi bonitas per se ipsam praecise summa, ac infinita, ex hoc ipso intelligatur summè, & infinite communicativa sui, & similiter perfectivè per communicationem sui, nec sit capax, quae accessione alicuius perfectionis augeatur, quandoquidem praehabet ex se praecise omnem omnium generis puram perfectionem; nulla profecto ap-

paret repugnantia, sed potius apparet maxima congruentia, ac consonantia in conjunctione ipsius cum praedicato aliquo infinite perfectibili, & nullatenus vicissim perfectivo; quodque propterea exigatur à priori illa formalitate, ex pura abundantia perfectionis, nec faciat maius cum eadem formalitate, dum intelligitur ipsi superaddi. Facile ergo concipitur, certè non est difficile quod credatur, non repugnare Diuinitati, sed potius congruere maxime, ac conducere accessionem, & multiplicationem formalem praedicatorum, absque vllò inde augmento bonitatis, per se aestimabilis. Ponatur itaque hoc, tamquam specialis, & propria Diuinitatis, eiusdemque purae, ac infinitae simpliciter bonitatis, ac perfectionis, & sibi ex se praecise sufficientis prerogativa, esse capacem praedicati, seu plurium praedicatorum, quibus tum praecisè, tum inclusivè formaliter, tantundem iuste perfectionis, ac bonitatis uniformiter intelligatur, insitque re ipsa, absque vlla inde diminutione, vel augmento formali, ita ut sint quidem plures, vel pauciores formalitates perfectae; non tamen propterea intelligatur plus simpliciter, vel minus perfectionis, ac bonitatis saltem intensivae, seu quasi intensivae, & per se aestimabilis.

Art. 7. Ex istis duobus principiis, quorum alterum est evidentissimum, alterum credibilissimum, apparet, non repugnare Diuinitati, tametsi repugnet enti cui libet, seu formalitati creatae, realem sui identitatem perfectam cum aliquo praedicato, cum quo nihilominus non identificentur realiter omnia, & quaelibet alia praedicata identificata realiter cum ipsa diuinitate. Apparet nimirum ex dictis principiis non repugnare, ut Diuinitas communicetur alicui praedicato tantundem atque sibi, tametsi non communicet eidem praedicato omnia alia praedicata identificata realiter cum ipsa Diuinitate. Formalitas enim, quae se sola, seu, ut praecise ab aliqua alia formalitate est tantundem, atque ut coniuncta cum eadem, tantundem utique communicabitur tertiæ alij formalitati, quantum communicatur sibi ipsi, dummodò communicet illi perfecte se ipsam secundum se, tametsi non simul communicet eidem tertiæ formalitati illam aliam formalitatem identificatam secum realiter, & non augmentativam perfectionis, sibi secundum se convenientis.

Art. 8. Diuinitas autem est talis formalitas, includens in se ex suo praecise conceptu, omnem omnium generis puram perfectionem, iuxta secundam positionem. Et rursus iuxta primam positionem, identitas realis duarum formalitatum consistit in tanta alterutrinus communicatione cum altera, quanta est communicatio sui secum. Ergo non repugnat Diuinitati identitas realis sui cum duabus formalitatibus non identificatis inter se realiter, seu non communicatis inuicem, quantum vnaquaque communicatur sibi, tametsi utraque communicetur Diuinitati, quantum communicatur sibi ipsi. Eadem verò ratio est, ut per se patet, de tribus, vel etiam pluribus formalitatibus, si aliud non obstat, atque de duabus, quoad distinctionem realem ipsarum inter se, & quoad identitatem nihilominus perfectam cum Diuinitate. Cum ergo tota difficultas mysterij Trinitatis Diuinæ reuocetur vnicè, in identitatem realem unius formalitatis, quae est Diuinitas, cum tribus formalitatibus non identificatis, seu distinctis inter se realiter, quae sunt tres Personalitates, seu tres Personae; patet, eam difficultatem, tametsi applicata rei creatae, conuertatur re ipsa cum repugnantia metaphysica, applicatam tamen Deo solum habere apparentiam repugnantiae metaphysicae, respectu nostri, utpotè cognoscentium Deum mediantibus creaturis, non verò

verò includere, reipsa, eam repugnantiam.

Art. 9. Pater rursus ex dictis; totam istam differentiam inter Deum, & res creatas, & non repugnantiam mysterij Trinitatis Diuinæ fundari formaliter, & immediate in infinitate simpliciter propria diuinitatis, secundum se. Ratione enim infinitatis istius fit, ut sicut Diuinitas secundum se præcisè est tanta, quanta est coniuncta cum aliis prædicatis non pertinentibus ad conceptum formalem ipsius, uti Diuinitas est: ita etiam tantundem se communicare possit alicui formalitati, communicando illi se solum, secundum se præcisè, quantum communicaretur, communicando secum omnia alia prædicata, realiter secum identificata: & consequenter, ut possit identificari, identitate perfecta, & propriissime tali, cum aliqua formalitate, tamen non identificet cum eadem omnia alia prædicata, identificata realiter cum eadem Diuinitate. Quod erat ostendendum.

Art. 10. Diuidenda itaque est identitas propria formalitatum diuinarum in inadæquatam, & adæquatam; seu in eam, quæ est adæquata intensiue tantum, & eam, quæ est adæquata tum intensiue, tum extensiue. Identitas absoluta, & adæquata, seu adæquata intensiue, & extensiue simul, est ea, ratione cuius utralibet ex duabus formalitatibus non solum communicatur alteri tantundem atque sibi, sed etiam communicat eidem totidem prædicata, atque communicat sibi ipsi. Hoc pacto comparantur inter se omnia prædicata absoluta, & necessaria Dei; quæ proinde sunt indistincta inter se virtualiter intrinsecè, solumque distinguishilia virtualiter extrinsecè, seu solum ratione nostra relatè ad connotata creata realiter inter se distincta, atque diuersa, ut dictum est quæst. 4. Vbi videri potest vberior huius rei expositio. Identitas absolute inadæquata, seu tantum intensiue adæquata, est ea, ratione cuius altera ex duabus formalitatibus communicatur alteri, tantundem quidem atque sibi, non tamen communicat eidem totidem prædicata, atque sibi. Hoc pacto comparantur inter se natura Diuina, & Diuinæ Personalitates. Quia Personalitates ita communicantur Naturæ, omnes, & singule, easque sibi communicat Natura; ut tamen easdem eidem non communicet inuicem, dum se ipsam illis communicat. Undè Natura Diuina, ut est in se à parte rei, dissidet realiter quoad aliquod prædicatum identificatum realiter cum ipsa, ab omnibus & singulis Personalitatibus. Dissidet enim à singulis seorsim per reliquas duas, & ab omnibus simul sumptis, tum per vnamquamlibet, tum per qualibet duas seorsim. Ita enim omnes tres Personalitates, & vnaquælibet earum communicantur summè Naturæ Diuinæ, & consequenter sunt prædicabiles de eadem; ut tamen nulla personalitas alteri Personalitati, nullæque duæ Personalitati Tertie similiter communicentur, & consequenter non sint prædicabiles de eadem. Quapropter Natura Diuina distinguishitur ab omnibus, & singulis Personalitatibus virtualiter intrinsecè, & non tantum extrinsecè ratione nostra relatè ad connotata creata realiter inter se diuersa, ut apparet ex expositione distinctionis virtualis intrinsecæ adhibita in illa quæst. 4.

Artic. 11. Loco distinctionis huius virtualis intrinsecæ, Scotus, & Affectæ constituunt distinctionem ex natura rei, inter naturam, & Personalitates Diuinas. Qui loquendi modus displicet vehementer plerisque aliis Theologis. Quia videtur non admittere tantam, à parte rei, identitatem, & communicationem realem mutuam inter naturam & Personalitates Diuinas, quanta est identitas, & communicatio seu naturæ, seu cuiusque Personalitatis secum ipsa, necnon hominis cum animali rationali, atque alio-

rum eiusmodi. Et quidem; si hæc esset significatio propria distinctionis ex natura rei, eandemque significationem respiceret intentio ita loquentium, ferendus nequaquam esset talis loquendi modus. Quia testimonia sacra superius indicata pro assertionem mysterij Trinitatis Diuinæ, eodem prorsus modo tradunt vnitatem, & simplicitatem Dei, necnon identitatem realem omnium, quæ sunt in Deo, cum ipso Deo, & cum diuinitate, quo tradunt distinctionem realem inter Personalitates, & Personas diuinas comparatas inuicem immediate. Quapropter, sicut ferendus nequaquam esset, qui tentaret inducere identitatem aliquam ex natura rei, inter Personas diuinas diminutiuam, aut alienatiuam distinctionis realis inter ipsas propriè, & simpliciter talis. Ita ferendus nequaquam est, si quis inducat distinctionem ex natura rei, inter Naturam & Personalitates Diuinas, diminutiuam, aut aliquatenus alienatiuam identitatis realis inter ipsas, propriè, & simpliciter talis. Ceterum Scotus, & legitimi eius affectæ, nomine distinctionis ex natura rei, intelligunt, quantum quidem ego conicere potui, veram identitatem realem immediatam, propriè, & simpliciter talem, coniunctam tamen cum discrepantiæ reali, & obiectiua, inter extrema ipsius identitatis, quoad aliquod prædicatum; id est, intelligunt veram identitatem inadæquatam, modo nuper explicato. Quare id nomen inducere, solum ad consignificandam istiusmodi inadæquationem: sicut ab omnibus usurpatur nomen circum inflectionis, respectu Personarum, ad consignificandam identitatem realem ipsarum, in tertio, seu quasi tertio, nempe in Natura Diuina, coniunctam cum distinctione reali immediata earundem inter se. In quo sensu ac intelligentia distinctionis ex natura rei, nullum est inconueniens.

Art. 12. Thomistæ, & alij plerique Auctores, eandem distinctionem virtualem intrinsecam appellant, exemplo D. Th. distinctionem rationis ratiocinata, seu rationis cum fundamento in re. Displicet nonnullis hæc etiam locutio. Quia eiusmodi distinctio rationis est communis perfectionibus Dei absolutis, inter se comparatis, indè etiam prædicatis creatis realiter identificatis, & terminantibus cognitiones diuersas; Cum tamen non sit communis iidem, modus identitatis, & distinctionis mutue, qui datur inter naturam, & Personalitates. Pro diuersitate autem rerum oportet adhibere, quantum fieri potest, voces diuersas, ne suboriatur æquiuocatio, atque conceptuum confusio, ac inuersio, ex vniuniformitate vocum coniuncta cum disconformitate rerum. Cui quidem malo occasionem præbent aliquam consequenter ad eum suum loquendi modum, qui pro explicando isto mysterio, & ad diluendas difficultates, quæ militant aduersus ipsum, vtuntur exemplis, & instantiis desumptis ex rebus creatis, & præsertim ex puncto, quod cum sit indiuisibile, simul tamen est, ut dicit Philosophus, finis præteriti, & principium futuri, quorum neutrum dicitur de altero. Vtuntur verò, perinde omnino atque si hæc essent adæquata rei, de qua agitur, infringentque totaliter vim earum difficultatum; Cum secundum rei veritatem, nihil creatum ad id valere possit, sed tantum ad quandam manuuctionem imperfectam, & inchoatam intellectus humani. Ceterum prædictus loquendi modus, hoc habet approbatione & commendatione dignissimum, quod est valde accomodatus ad exprimendam perfectissimam, & summam, qualis reipsa est, identitatem realem inter Naturam, & Personalitates Diuinas, cum exclusionem omnis distinctionis, & quasi dissolutionis obiectiue, inter eas formalitates, ut sunt in se intrinsecè à parte rei. Verum quia

quia hoc ipsum præstat exactè nomen distinctionis virtualis intrinsecæ, quia quatenus virtualis tantum est, retinet identitatem realem immediatam; simulque quatenus intrinsecæ est, significat distinctionem realem in tertio; quæ coniunctio identitatis, & distinctionis realis, ita est propria Dei, vt repugnet enti creato, ex conceptu entis creati, prout apparet ex discursu superiori; propterea ista potissimum locutione vtimur, tanquam specialiter accommodata præsentis mysterio, vti manifestius deprehendetur in discursu.

Art. 13. Ratione distinctionis huius virtualis intrinsecæ, & identitatis inadæquatæ, vti modò explicata est, conuenit diuinitati, cum sit terminus singularis, capacitas suppositionis, tum determinatæ, tum vagæ, seu confusæ, tum copulatiuæ; seu potius, quasi determinatæ, vagæ, seu confusæ, & copulatiuæ. Ad quam suppositionum varietatem solus terminus vniuersalis est indifferens in creatis. Quia videlicet hoc habet commune Diuinitas cum termino vniuersali, vt identificetur cum pluribus realiter inter se distinctis, & singulis eorum, idque adæquatè adæquatione ipsius Diuinitatis consideratæ secundum suum conceptum formalem; licet identificetur inadæquatè tantum inadæquatione aliorum prædicatorum, quæ sunt quidem realiter identificata cum ipsa diuinitate, sed tamen distinguuntur ab eadem virtualiter intrinsecè. Quapropter in hac propositione: *Trinitas est Diuinitas*: suppositio est quasi copulatiua, sicut in ista: *Omnis homo est animal rationale*. In hac verò: *Paternitas est Diuinitas*: suppositio est quasi particularis; sicut in ista: *Petrus est homo*. In hac denique: *Diuinitas subsistit*: suppositio est quasi confusa, & vagæ; sicut in hac: *Existit homo*. Ex quo apparet, easdem propositiones euadere falsas, si adiungantur Diuinitati particule variantes suppositionem, quæ in illis absolute prolatis subintelligitur. Si enim dicatur: *Paternitas est Diuinitas, & quicquid est Diuinitas, seu est Diuinitas adæquatè sumpta in ensu, & extensiuè*, propositio euadit falsa. Quia sublata suppositione particulari, substituitur suppositio copulatiua, seu quasi copulatiua, & sic de reliquis.

Art. 14. Eadem porro ratio est, si suppositio mutetur de simplici in personalem, vel de personali in simplicem; quod fit, dum ex prædicatis, quæ conueniunt formalitatibus diuinis secundum se, seu præcisè, vt sunt in se à parte rei, deducitur consequentia ad prædicata, quæ conueniunt iisdem dependenter solum à modo nostro concipiendi, & prout subsunt nostris conceptibus, atque ab iisdem denominantur; vel è conuerso. Vtrius namque modo consequentia erit inanis, & consequens falsum, propter mutatam suppositionem. Quæ quidem suppositionis mutatio, etiam in creatis est inanis, & fallax, vt si dicatur: *Homo est species, vel est tertie declinationis. Ergo Petrus, qui est homo, est species, est tertie declinationis*. Vel è conuerso; *Petrus non est species, non est tertie declinationis. Ergo homo, qui est Petrus, non est species, non est tertie declinationis*.

Art. 15. Verùm quoad hoc ipsum conuenit Diuinitati aliquid peculiare, quod in rebus creatis locum non habet. Quia de vna eademque re creata, non possunt fieri duo conceptus formales inuicem diuersi, ratione quorum verificentur de illa prædicata aliqua contradictoria, nisi per eos conceptus concipiatur talis entitas relatè ad connotata extrinsecæ realiter inter se distincta, ac diuersa, terminantia indiuisim eisdem conceptus. Quia vnum, & idem adæquatè sumptum, quo solum pacto sumi potest entitas creata, iuxta dicta superius, non potest secundum se præcisè consideratum, mouere intellectum, nisi vno,

eodemque modo. Certè monere non potest modis positivè inter se diuersis, esto possit modò magis, modò minùs moueri, modò clariorem, modò minus claram cognitionem gignere, seu minus & magis adæquatam obiecto. Neque verò intellectus diuersimodè operatur, atque cognoscit, nisi diuersimodè moueatur ab obiecto, de quo fusiùs in loco. At Diuinitas, secundum ea præcisè, quæ sibi insunt à parte rei, potest inducere eiusmodi, circa se, diuersitatem conceptuum. Quia secundum se præcisè est capax, quæ adæquatè, quæque inadæquatè consideretur ab intellectu nostro, Diuinitati enim, vt est in se à parte rei, conueniunt prædicata, tum absoluta, cum quibus identificatur adæquatè; tum relatiua, cum quibus identificatur inadæquatè inadæquatione se tenente ex parte ipsorum relatiuorum, modò superius explicato. Quapropter talis fallacia contingere potest circa Deum, si inferantur de aliqua eius formalitate secundum se præcisè considerata, ea prædicata, quæ conueniunt eidem relatè ad diuersas formalitates diuinas consideratas, vt sunt in se à parte rei, non identificatas inter se adæquatè, & conuertibiliter; qualis fallacia interuenit circa ens creatum, dum inferuntur de ipso, deque ipsius prædicatis, vt sunt in se à parte rei, ea, quæ conueniunt eidem propter diuersos nostros modos concipiendi relatè ad diuersa connotata extrinsecæ distincta inter se realiter adæquatè. Quia videlicet Diuinitas habet in se intrinsecè, & vt est à parte rei diuersitatem formalitatum identificatarum realiter cum ipsa, & nihilominus distinctarum inter se realiter, qualem res creata solum extra se, & extrinsecè habere potest. Quæ doctrina est valde necessaria, & diligenter obseruanda ad vitandas captiunculas, quæ facillè occurrunt, circa hoc mysterium, vti clariùs apparebit ex eius vsu, in solutionibus argumentorum.

Art. 16. Cum igitur hæc omnia rectè inter se cohareant, insintque diuinitati ratione infinitatis, quæ est specialis, & propria ipsius, atque in iis consistat omnis peculiaris difficultas Mysterij Trinitatis, identificantis vnā naturam cum Tribus Personis realiter inter se distinctis, legitime concluditur eam omnem apparentiam repugantiæ, quam circa hoc mysterium ingerunt intellectui nostro res creatæ ratione suæ finitatis, ac limitationis, & dependentiæ omnis nostræ præsentis cognitionis ab ipsis, esse inanem re ipsa, & falsam, omniaque esse inuicem composibilia ratione diuinæ infinitatis, quæ docemur per fidem circa idem Mysterium; Ac demum ita ipsum esse supra rationem naturalem, vt tamen contra eandem nullatenus sit.

Art. 17. Ad 1. Quæ sunt eadem vni tertio, esse idem inter se, est principium per se notum, vt iacet, neque est capax distinctionis respectu rei creatæ, vt potè finitæ, ac limitatæ. Quia est per se notum, nihil finitum identificari posse cum aliquo, præterquam vno modo; nempe adæquatè, & conuertibiliter, & quoad omnia sua prædicata. Quorum videlicet quolibet sublato, seu præciso, & non communicato, minuitur necessariò, nec tantundem communicatur alteri formalitati, quantum communicatur sibi ipsi, atque idèò, nec identificatur realiter eidem alijs formalitati. At respectu Dei, eiusdemque entis simpliciter infiniti, non est per se notum idem principium, nisi cum addito; nempe, quæ sunt eadem vni tertio adæquatè, & conuertibiliter, sunt idem inter se: & absque hoc addito expresso, vel subintellecto, idem principium est falsum respectu Dei re ipsa, & secundum fidem; nec est per se notum secundum rationem naturalem. Quia videlicet, non est per se notum, secundum rationem naturalem, & est falsum re ipsa, & secundum fidem.

fidem, perfectionem simpliciter infinitam in omni genere, qualis perfectio est Diuinitas, non esse tantundem, & non communicari tantundem, atque idcirco non perinde absolute identificari praefiso, & non praefiso, identificato, & non identificato aliquo suo praedicato reali, non pertinente formaliter, sed tantum arguitur, ad eam perfectionis infinitatem, ut liquet ex discursu initio praemisso. Ergo mysterium Trinitatis Diuinæ, non est contra illud principium, quatenus est per se notum, sed est praeter illud, & supra illud. Vnde idem Mysterium non est contra, sed solum supra rationem naturalem.

Art. 2. Philosophus vsus est praedicto principio tantummodo circa creatura, & circa Deum praecise, quatenus apparet in, & ex creaturis, idest, quoad ea praedicata Dei, quae formaliter pertinent ad Conceptum Diuinitatis, & infinitae perfectionis, secundum se. Quae nimirum sola est participabilis formaliter a creaturis, solaque consequenter est cognoscibilis mediante ipsis. Quapropter Philosophus non indiguit distinctione identitatis adaequatae, & inadaequatae, intensiua tantum, & intensiua, & extensiua simul. Quia haec distinctio instituta a nobis est praecedente fide, nec ille potuit in vllam ipsius cognitionem, vel etiam probabilem assurgere: Cum res creatura, quibus solis intentus ille fuit, destitutus directione supernaturali diuinæ reuelationis, deficient infinite ab infinitate Diuina, ideoque non imitentur diuinitatem, quoad eum modum essendi peculiarem, qui sibi conuenit, quatenus infinita est, sed potius habeant modum essendi oppositum modo essendi Dei, quia infinitus est, ideoque manuducere sufficienter non possint ad cognoscendum modum essendi conuenientem Deo peculiariter, ratione suae infinitatis, licet manuducere possint ad cognoscendam ipsam secundum se infinitatem, cuius sunt participationes, licet defectuosa.

Art. 3. Auctoritas itaque Philosophi, & praedictum principium, prout ab ipso traditur, & censetur per se notum, estque tale, reipsa, non vniuersaliter, sed tantum respectu rerum creaturarum, ita non suffragatur positiue huic mysterio, & apparenter ipsi contradicit, ut tamen nec virtualiter quidem, & implicite refragetur eidem, reipsa, propter infinitatem Diuinitatis eleuatam supra omnem modum creaturam, ac limitatum essendi. Ex quibus obiter apparet, quantum hallucinantur Lullistae, & nonnulli alij affirmantes demonstrationem posse ratione naturali istud mysterium, quorum fusior impugnatio, quia vix digni sunt vlla, videri potest apud Valquez disput. 138. & apud alios in praesenti.

Ad 2. Quidquid dicitur de praedicato adaequato, & conuertibiliter, dicitur etiam de subiecto, de quo idem praedicatum adaequato itidem, & conuertibiliter dicitur. Non vero si alterutrum, vel vtrumque dicatur inadaequato, seu non conuertibiliter, prout contingere potest circa Deum, & contingere nequaquam potest circa res creatas, ut patet ex modo dictis: ex quibus vltimè apparet, quo sensu sint, & quo non sint per se notae regulae illae: *Dici de omni. Dici de nullo*, cum quo addito sint applicandae Deo, & quomodo distinguendae sint propositiones notatae in obiectione. Est enim eadem, quoad omnia, ratio de ista, atque de praecedenti obiectione, terminis vtroque, eodem proportionaliter modo, declaratis.

Ad 3. Ratio identitatis, & vnitatis, nec in Deo, nec in creaturis est formaliter, & ratione nostra, ratio distinctionis, & multiplicatis. Ceterum in Deo, vtrilibet ratio potest realiter identificari cum altera, respectu eiusdem termini. Quia duo praedicata

diuina inuicem incommunicabilia immediate, & secundum se, ideoque omnino indistincta à ratione distinctionis, & multiplicatis mutuae, possunt nihilominus, communicari summe praedicato cuiusdam tertio, quod proinde sit ratio identitatis, & vnitatis eorum, respectu sui ipsius. Vnde vnum, quod est proprium Dei, non est non multa simpliciter, & secundum omnem rationem identificatam realiter secum, sed solum secundum eam rationem, seu formalitatem, ac virtualitatem, in qua fundatur vnitatis. Idem dicitur, suo modo, de multis, & de multiplicitate praedicatorum Dei, realiter inter se distinctorum: Esto in creatis vnum, & multa eiusdem generis, atque identitas, & distinctio excludant se inuicem ab eodem, respectu eiusdem absolute, & secundum omnem rationem realiter identificatam cum ipsis, propter differentiam iam notatam infinitatis diuinæ à limitatione creaturarum.

Art. 1. Ad 4. Vni, & eidem rei, quae est Deitas Paternitas, Deitas filio, & Deitas spiratio Passiua, atque Deitas haec omnia simul, imponimus diuersa nomina, prout subest diuersis nostris concipiendi modis. Dicitur enim natura, & formalitas communicabilis pluribus, quatenus subest conceptui absolute, & non referenti ad aliud. Dicitur verò Personalitas Patris v.g. & formalitas incommunicabilis pluribus, prout subest conceptui relatiuo ad aliud. Sicut enim homo dicitur animal, dum concipitur relatiue ad solas sensationes; rationalis verò, dum cognoscitur relatiue ad discursum, & sic de alijs eiusmodi; ita Deus dicitur natura, dum concipitur vel absque vlla relatione, vel relatiue tantum ad effectus creatos. Paternitas verò, aut filio, aut spiratio passiua, & formalitas incommunicabilis pluribus, dum concipitur cum tali determinata relatione ad intra, concipitur verò distincte, & expresse, atque in recto.

Art. 2. Quapropter cum dicitur: *Natura diuina est formalitas incommunicabilis filio*, non solum dicitur, quod eadem formalitas diuina, quae potest concipi, aut etiam concipitur actualiter, conceptu absolute, potest nihilominus concipi, aut etiam concipitur actualiter, conceptu relatiuo, ad intra, quod est verum ex veritate, quae exprimitur dum dicitur: *Natura Diuina est paternitas*: & subintelligitur, dum dicitur: *Natura diuina est formalitas, quae est incommunicabilis filio*: sed insuper significatur, quod eadem formalitas, prout concepta conceptu absolute, est formalitas prout concepta conceptu relatiuo, quod est falsum ea falsitate, quae exprimitur, dum dicitur: *Natura Diuina, etiam formaliter, ac reduplicatiue, ex modo nostro concipiendi est Paternitas*, & subintelligitur, dum dicitur: *Natura Diuina est incommunicabilis filio, seu, est formalitas incommunicabilis filio*. Eadem ratio est de propositionibus, quibus dicitur: *Paternitas est natura Diuina*: *Paternitas est communicabilis tribus Personis, seu, est formalitas communis tribus Personis*. Quarum prior est vera, posterior verò falsa. Quia affirmans Paternitatem esse naturam, solum asserit, formalitatem, quae potest concipi, aut etiam concipitur actualiter, conceptu relatiuo, atque distinctio à Filio, & Spiritu Sancto, posse nihilominus concipi, aut etiam concipi actualiter conceptu absolute, non exprimente eam distinctionem, quatenus absolutus est. Quod est omnino verum. Affirmans verò Paternitatem esse communem Tribus Personis, seu formalitatem Tribus Personis communem, significat insuper formalitatem Diuinam, prout conceptam conceptu relatiuo, & quatenus relatiua est ad intra, esse communem Tribus Personis Diuinis, & realiter identificatam cum ipsis. Quod patet esse falsum, propter mutuatam videlicet vtroque suppositionem

N

termi

terminorum; eorundemque substitutionem respectu conceptuum interiorum diuersimodè concipiendum, atque experimentum prædicata diuina; subeuntia pròinde diuersas, ac oppositas inter se prædicationes, vtpotè pendentes, quoad suam veritatem, & falsitatem, non à sola entitate obiectorum, sed etiam, & maxime, à modo illa exprimendi per nostros conceptus. Nec enim institimus prædicationes de rebus, præcisè, vt sunt in se à parte rei, sed vt subsunt apprehensionibus nostris, & secundum apparentiam, quam sortiuntur per illas, respectu intellectus.

Art. 3. Eadem est ratio de aliis eiusmodi transitionibus à sensu reali, ad sensum formalem, quarum plura exempla data, & exposita sunt in argumentis, & responsionibus q. 4. circa prædicata absoluta Dei, inuicem collata: Obseruandum verò est attentè, quod iam iterum præmonui, obrepere facilius æquiuocationes, & fallacias ex eiusmodi transitione, circa absoluta, & relatiua, inuicem collata, propter distinctionem rationis possibilem inter ipsa absque relatione eorum; per intellectum, ad diuersa connotata creata: cum inter prædicata absoluta inuicem collata, vel etiam inter prædicata relatiua vniuersiuique Personæ propria; dari non possit eiusmodi distinctio rationis, absque relatione ad connotata exte inleca, realiter inter se distincta, atque diuersa, vt manifestatum est supra art. 12. & 13. Vnde eadem diuersitas prædicationum, & veritatis, atque falsitatis ipsarum reperiri potest in prædicatis absolutis, & relatiuis Dei, independentè à connotatis extrinsecis, quæ dependent ab ipsis reperiri inter prædicata absoluta, vel etiam relatiua, inuicem seorsim collata. Apparet itaque clarè ex his omnibus æquiuocatio obiectiois, & vnde ea suboritur, atque ex hoc mysterio inferri minime posse, quod eidem formalitati conueniant prædicata contradictoria, absque reali distinctione ipsorum saltem inadaquata, & in tertio, præterquam in sensu formali, & reduplicatiuo. Qui sensus inuehit formaliter prædicata contradictoria in formalitates creatas, necnon in formalitates absolutas Dei, identificatas inter se realiter adæquate, absque distinctione reali in tertia aliqua formalitate.

Art. 1. Ad 5. Syllogismi quasi expositi, circa Deum, in quibus comparantur mutuo prædicata absoluta, & relatiua, distinguendi sunt, iuxta notata supra de variabilitate suppositionis propriæ, & peculiaris, Diuinitatis, deque ipsius eatenus æquiualentia, respectu termini vniuersalis. Adhibita autem idoneè distinctione, & reductis omnibus terminis ad vniuersalem suppositionem, inueniuntur prædicti syllogismi concludentes cum æquali euidencia circa Deum, vt complectitur Mysterium Trinitatis, & circa res creatas. In syllogismo obiectiois deest vniuersitas ista suppositionis, & distributionis, ideoque non concludit, & debet exponi distinctione, hoc modo: Hæc Paternitas est hæc essentia adæquate, & conuertibiliter, nego maiorem: inadaquate, & cum distinctione reali in tertio, concedo maiorem: & minori propositione similiter distincta, negatur Consequentia. Quod non indiget ulteriori expositione, sed sola eorum inspectione, quæ superius exposita sunt.

Art. 2. Quando termini fuerint, vel omnes æquè communes, vel omnes æquè non communes pluribus realiter distinctis, non opus erit eiusmodi additamento distributionis, sed syllogismi concludent eodem prorsus modo circa Deum, quo concludunt circa res creatas. Quod autem in creatis nunquam opus sit tali addito, distribuentem terminum singularem, in causa est, quod circa res creatas non potest euenire, prout euenire potest circa Deum, vt terminus formaliter singularis, seu non vniuersalis formaliter,

simul sit æquiuolenter vniuersalis, vtpotè communis formaliter pluribus realiter inter se distinctis, propter rationem discriminis supra explicatam dependentem ab infinitate Dei.

Art. 3. Quod ibi opponitur in fine de eadem infinitate distinguente infinitè, atque aded redidente impossibilem identitatem realem prædicatorum, realiter inuicem distinctorum immediatè, cum tertia formalitate vtriusque communi, ex eo diluitur facillè quod Deo non conuenit infinitas formaliter ex parte prædicatorum Dei, quæ distinguuntur inter se, & multiplicantur realiter, sed solum ex parte prædicati realiter immultiplicabilis secundum se, atque essentialiter communis per summam identitatem cum omnibus, & singulis prædicatis Diuinis, vt apparebit ex iis, quæ dicuntur in q. 40. Inde enim fit, quod prædicata relatiua Dei possint inter se distingui realiter, atque multiplicari, quin simul distinguantur realiter, ac multiplicentur omnia identificata cum ipsis, tametsi prædicata absoluta Dei possint identificari realiter cum aliquo prædicato relatiuo, quin identificetur cum eodem, quicquid est identificatum cum iisdem prædicatis absolutis. Inde nimirum existit diuersitas Dei à creaturis, quoad hoc mysterium, vnde est infinitas Dei, iuxta dicta in tota hac quaestione, & promouenda, quoad hoc punctum; in ex quaestione 40.



### QVÆSTIO XXXIX.

*Virum Prædicata Diuina multiplicentur per Processiones, Relationes, notiones, & proprietates, atque per ipsas constituentur in se, & distinguantur inter se Tres Personæ Diuinae?*



IDENTVR non dari in Deo eiusmodi pluralitas, & talia prædicata. 1. Quia omnis eiusmodi pluralitas, fundatur in Processione reali vnius ab alio, certè est conuertibilis cum ipsa, quandoquidem omnia, quæ aliquo modo distinguuntur inter se, necessariò reuocantur ad aliquod vnum, à quo procedunt cetera eodem proportionaliter modo, ne sint inuicem inordinata, & coëxistentia sibi mutuo tanquam à calis, prout arguebatur quæst. 4. in postrema ratione veræ sententiæ. Processio autem realis repugnat Deo in se ipso: Tum quia processio significat motum ad extra, qui pròinde repugnat, vt conueniat cuiquam intra se: Tum quia omne procedens est diuersum ab eo, à quo procedit. Repugnat verò omnis diuersitas, vbi est summa simplicitas, ac vnitas, atque hæc est essentialis Deo, ex q. 3. Tum quia Deus secundum se totum est ens à se, vt in vtraque ea quaestione, & in q. 2. ac 5. dictum est. Repugnat verò in terminis, vt ens à se, sit ens ab alio, & tamen est de ratione procedentis, vt sit ab alio. Ergo processio ad intra repugnat conceptui Deitatis, seu repugnat Deo, vt simul sit procedens, & à quo est processio.

2. De conceptu relationis est. Primum, vt non prædicetur de aliquo, prout docet Boëtius lib. de Trinitate ad med. Deinde, vt distinguatur, aut supponatur distincta, id, cuius est, & id, ad quod est. Tertio, vt si quidem fundetur in ratione principij, non sit realis, sed rationis